







1662

1. J.

2. J.

3. J.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.





1662.

1. Brant, Nicolaus : De legitima maleficis et sagas  
investigandi et convincendi ratione.
2. Syben, Hadericus : De tutoribus.
3. List, Petrus : De modo referendi in causis tam  
civilibus primae et secundae instantiae, quam  
criminalibus
4. Müllerus, Martinus : De servitutibus realibus  
sive praedialibus
5. Müllerus, Martinus : De successione ab intestato
6. Schröder, Georg : De gratificatione.
- 7 & 8. Tebr, Joh. Otto : De contractu et jure colo-  
nario provinciali . . . . . 2 Inempt.
9. Tebr, Joh. Otto : Specimen jurisprudentiae analyticae  
ad intellectum l. 3 C. de hered. instit. et quae personae  
heredes institui non possunt.



1663.

1. Eyben, Haldericus: De mutuo
2. Eyben, Haldericus: De jure verandi.
3. Eyben, Haldericus: De missione in possessionem.
4. Kley, Ernst. Christoph: De crimine majestatis
5. Le. Bleu, Faculus: De obediens ac in eo jure
6. Malcomerius, John Richard: De incolis
7. Müllerus, Martinus: De foro competente
8. Taber, Joh. Vtho: De defensione rei absentis,  
De crimine capitali accusati
9. Wffenbach, Zacharius Conradus: De compensatione stricta  
dicta




lin.

stücke









*Pri. 33. Nymn.*

EXERCITIUM JURIDICUM  
*De*  
TUTORIBUS,

*1662, 2*

*2,*


QUOD  
*Divinâ assistente Gratiâ*  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI*  
DN. HULDERICI EMDEN  
J. U. Doctoris & Professoris in Illustri Academia  
Hasso-Giessena celeberrimi, Præceptoris ac Pro-  
motoris sui summô honoris observantiæq; cultu  
prosequendi

*P. 247.*

*Publicè proponit*  
JOHANN. CHILIAN. Metzger/  
Svinf. Fr. Aut. & Resp.

*Ad diem 30 Augusti*  
A. N. C.  
*M. DC. LXII.*



GIESSÆ HASSORVM,  
Literis FRIDERICI KARGERI.





EXERCITIA JURIDICA

TUTORIAL

DR. HILDEBRAND

Dr. Hildebrand's Institution

Halle, 1811

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution

Dr. Hildebrand's Institution



sui  
gna  
ctar

pilli  
scil.  
patr

ned  
omr







# AUSPICE CHRISTO!

Exercitii nostri Juridici

## THEMA I.



OST summam illam personarum divisionem in *pr. Inst. de jur. pers.* propositam ita sacratiss. Imperator noster personas perguit dividere, ut alias sui juris esse dicat, alias alieno subjectas, *pr. l. & l. i. ff. de his, qui sunt sui vel al. jur.*

### II.

Cui nos rectè eam subnectimus subdivisionem, quâ sui rerumque suarum arbitrii quibusdam omnimodam assignant libertatem, quibusdam eandem quadantenus restrictam ac imminutam.

### III.

Eos inter principem præ minoribus tenent locum *pupilli*, quorum definitio exstat in *pr. l. pupillus 239. de V. S.* quòd scil. sint ii, qui quum impuberes sint, desierunt in potestate patris esse aut morte, aut emancipatione.

### IV.

Quum enim hi in tenera admodum ætate constituti, nedum stabilem adepti sint mentem, *l. ult. C. de testam. mil.* omninò naturæ conveniens est, illos non sibi ipsis, sed alio-

A 2

rum



rum potiùs prudentiæ regendos atque gubernandos relin-  
qui, §. 6. l. de Attil, tut. Arist. 1. Polit. 4.

## V.

Siquò nomine in Jure nostro isti Gubernatores ve-  
niant, scire desideras; audiunt inibi Tutores, quasi tutores.  
§. 2. l. de tutel. & l. 2. propè fin. C. quand. mul. tutel. offic. de  
queis impræsentiarum paucis saltem, non equidem pro ma-  
teriæ gravitate ac dignitate, sed pro modulo ingenii exerci-  
tisque Academici verba facere fert animus.

## VI.

Primò igitur omnium tenendum, vocabulum *tueri*,  
unde vox Tutor descendit, variis subjacere significationi-  
bus. Nos amicæ studentes brevitati id posthabito illò gene-  
rali, quò quamcunq; tuitionem sive defensionem denotat, l. 1.  
pr. ff. de minor. l. 30. de liber. cau. l. 1. §. 7. ne quid in flum. publ.  
intra angustiores necessariò arctamus limites, & specialiter,  
quatenus solos ad pupillos refertur, accipimus: quando qui-  
dem generalis significandi ratio ad habiles restringi debet  
terminos, monente Goedd. ad l. 6. de V. S. n. 21. ad l. verba.  
20 eod. n. 8. & alibi.

## VII.

Idem hoc apud Græcos fieri Scriptores necessum est,  
utpote qui Tutores appellitant ἐπιτρόπος, uti patet ex tex-  
tibus etiam juris nostri, nominatim ex l. 48. ff. de judic. l. 49.  
depos. ἀπὸ τῆς ἐπιτροπῆς, permittere, eò quòd ipsis præter  
defensionis personæ libera quoque rerum pupillarum  
administrationis potestas permissa sit. Germanis dicuntur  
Vogte/ Vormünder/ Pfleg- Väter. Giphan. ad §. 2. inst.  
de tutel.

## IIX.

Quibus ita præmissis Tutorem, imitati imperat. nostrum  
defini-



5  
definimus esse defensorem aliquem, *arg. l. 2. pr. & §. 1. ff. qui pet. tut. l. 21. C. de admin. tut. cui vis ac potestas est in capite libero, tuendi eum, qui per ætatem seipsum defendere nescit, jure civ. data ac permiffa §. 1. l. de tutel. l. 1. ff. eod.*

IX.

Unde facili jam negotio *dissimilitudo*, quæ Tutorem à Curatore discernat, apprehendi poterit. Illius scilicet munus principaliter in tuendo personam pupilli vertitur, *l. 30. de admin. tut.* hujus autem in sola potissimum negotiorum administratione constat, per *l. 20. ff. de R. N.* Tutores propter ætatis infirmitatem; Curator etiam propter furorem morbum perpetuum, aliaque vitia jungi assolet, §. 3. *cum seq. l. de curat.* Excell. Dn. D. Ludw. Disp. *ad inst. 3. th. 1. lit. f.* Plures tutorum & curatorum similitudines & differentias videre est apud Harpr. *ad pr. l. de curat. à num. 5. usque ad fin.*

X.

Causæ tutelam constituentes reperiuntur tres: Testamentum, Lex, & autoritas seu datio Magistratus; atque inde *triplicis generis* Tutores exsurgunt: Testamentarii, Legitimi, Dativi sive Honorarii, *arg. l. 52. C. de Episc. & Cler. canonisatæ per c. generaliter. 40. cau. 16. qu. 1.*

XI.

*Testamentarii* sunt, quos paterfamiliâs liberis suis impuberibus in potestate retentis testamento vel codicillis testamento confirmatis constituit, *l. 3. & l. 1. ff. de testam. tut. l. 2. C. eod.*

XII.

Id quod quum patriæ sit effectus potestatis *l. impuberi. 40. de admin. tut. inf.* Satis inclarescit, *l. jure matri. facultatem*

A

3

tatem



tatem isthanc denegari, quippe quæ in potestate sua nullos habereliberos intelligitur §. *fæmina. 10. l. de adopt. & §. cæteri. 3. de hered. qualit.*

## XIII.

Consequitur hinc II. filio etiam à bonis paternis per exheredationem excluso nihilominus à patre tutorem rectè assignari: nec enim ille per hoc juris patrii, quibus astringitur vinculis eximitur, *l. 6. ff. unde legit. Conf. Bach. ad Tr. vol. 2. D. 12. th. 2. lit. B.*

## XIV.

Observari III. circa illa meretur verba: testamentò aut eodicillis: quòd de sola tutela cum effectu nemo possit testari, *per tex. l. 53. de V. S. ibi: super pecunia tutelave (antiquorum, ut ex Cuj. docet Gædd. in d. l. n. 6. more, quò sapè genitivò utebantur pro ablativo) tutor separatim sine pecunia dari non potest.* Caput namque & fundamentum testamenti quoniam est heredis designatio, §. *ante heredis. 34. l. de legat. eà deficiente deficiunt & alia, arg. l. 129. §. 1. ff. de R. l.*

## XV.

Illud IV. hîc dispicere assolent, utrum si simpliciter liberis in testamento dati sint tutores, horum etiam appellatio ad nepotes porrigi debeat? Et robur affirmativa accipit à *tex. l. 6. ff. de testam. tut. l. 220. de V. S.* Quòd si verò filiis, secus esse dicamus oportet propter *d. l. 6. de test. tut. filiorum* enim nomen est strictius, nisi pro lis faciat mens pronunciantis, *Zoel. in ff. eod. n. 4.* & non ita filiorum appellatio, uti liberorum, omnes comprehendit descendentes, *And. Gerh. Exerc. 6. qu. 6.*

## XVI.

Quamvis denique & ventri tutor testamentò dari possit,



possit, secundum *l. 1. § 1. d. t. de testam. tut.* id tamen eatenus procedit, ut tum demum, si vivus editus fuerit partus, verus ille tutor habeatur, & tutelæ cum eo agatur; sin autem abortus prodierit, is qui tutelam administravit, pro negotiorum saltem gestore reputetur, *l. quum pater 29. ff. de negot. gest.*

## XVII.

Atque hæc hætenus circa Tutores Testamentarios, quibus meritò primus defertur locus: siquidem quamdiu id generis sperantur, legitimi secluduntur, *l. 11. de test. tut.* sicuti idem fieri amat in hereditatibus, ut scil. nec ibi locus ab intestato successioni sit, quamdiu adiri ex testamento potest, *l. 39. de acq. hered. l. 89. de R. l.* provisio enim parentis cessare facit provisionē legis, *l. pen. C. de pact. convent. l. 23. in f. C. de legat.*

## XVIII.

His igitur deficientibus vel inhabilibus existentibus alteriusdemum generis Tutores succedunt, nimirum *Legitimi*, quos sine hominis factō lex ipsa immediatè constituit, tanquam proximos pupilli successores: quippe quum hi sensuri sint emolumentum futuræ successione, absolum foret opus ab his devolvi ad alios. *Inst. de legit. Patron. tut. l. 15. §. fin. ff. de legat. prest.* totum namque hoc negotium in ratione successione, velut fundamento regulariter nititur, *l. 73. de R. l.*

## XIX.

Olim equidem ejus capaces soli habebantur Agnati, utpote quos solos Lex 12. tabb. vocabat ad successiones, *per tit. I. de SC. Orphic.* excludebantur emancipati & cognati reliqui; sed hodiernò jure everlâ, quantum ad hanc rem, illâ in-

ter



ter agnatos & cognatos, suos & mancipatos veteri differen-  
tiâ per *N. 118. c. 4.* aliud obtinet.

## XX

Deinceps olim ex sententia Legis legitimi etiâ fieri  
bant tutores Patroni libertorum suorum impuberum; &  
ad exemplum saltem verè legitimorum alii quasi legitimi *l. 3. in fin. ff. de legit. tut. de quibus sub tit. 18. cum seq. Inst. lib. 1.*  
agitur. Verùm post sublatam illam antè dictam differenti-  
am nomina horum simul ab usu recessisse, unicamque ho-  
diè tantum legitimam dari tutelam, cum Dd. plurimis an-  
notavit Suth. *Disp. 3. th. 28.* quos equidem sequerer, nisi ex  
jure & prærogativa emancipationis aliud dicendum videretur.  
Vid. Nobiliss. atque Consultiss. Dn. Præses, Patronus &  
Præceptor meus filiali observantiâ perpetim prosequendus  
in *Disp. sua ad Inst. 4. Obs. 11 12, 13.*

## XXI.

Circa hanc porrò speciem omninò dignum occurrit  
notatu, ac jam plus satis notum, quòd quamvis alioqui mu-  
lie res ad virilia & publica munera, quale & tutela est, *pr. 1. de excus. tut. non admittantur, per l. 2. de R. l. c. dilecti. 4. ext. de arbitr. ipte namque sexus ea denegat, l. 3. §. 3. ff. de muner. & honor.* ad hanc tamen, si velint (ne quod favori datū est, vertatur in præjudicium) quin admitti debeant mater & avia, nihil sit impedimento: Quemadmodum & ad suspecti postulationem eadem admittuntur, *per §. 3. l. de suspect. tut.*

## XXII.

Suadet id maternæ pietatis conjectura, *arg. l. 14. C. de his, qui accus. non poss. in tantum quidem, ut reliquis etiam cognatis anteponantur, d. Nov. 118. c. 5. dummodo cæteris observa-*



observatis primò vivant contentæ matrimonio; secus enim si fecerint, à tutela repelluntur, *Nov. 94. c. 2. inf.* quia scilicet post mutatum per secundas nuptias concubitus elanguisse simul & retrixisse præsumitur prior erga liberos primi matrimonii charitas, *l. 22. C. de admin. tut. propè fin. D. Richt. ad auth. matri. C. quand. mul. tutel. off. n. 9.*

## XXIII.

Præter eas autem si quæ sunt foeminæ, excluduntur secundum juris communis regulas. Neque turbat assertum, quòd, quia ad successionem proximorum agnatorum (quorum hoc negotium supra diximus Innti *th. 18.*) atque sic ad lucrum admittuntur, onus etiam, tutelæ videlicet sentire debeant. *arg. l. 10. ff. de R. l.* Dicta quippe regula tum demum locum obtinet, quotiens par est ratio commodi & incommodi, & æqualitas in personis, notante Bronch. *ad d. l. 10. d. R. l.*

## XXIV.

Proaviam certè, ne ejus planè obliti esse videamur, admittunt præter alios Schrad. *de Feud. par. 10. f. 19. u. 24.* Bachov. *ad tit. 1. de legit. Patron. tut.* à quibus tutius erit, ut discedamus, moti tum *N. 128. c. 5. ibi: nisi mater aut avia fuerit: his enim solis &c.* tum quod jus novissimum strictè accipiendum, nec producendum, ad consequentias *l. 14. cum seqq. ff. de LL.* Antè nominatus Nobiliss. Dn. Præses in comment. suis *ad d. aut. matri & avia. C. quand. mul. tut. memb. 2. num. ult. & memb. 3. n. 1.*

## XXV.

Nullis denique existentibus neque Testamentariis, neque Legitimis tutoribus, Magistratui dare tutores convenit,

B

venit,



10  
venit, utpote cujus gravitatis est, quod utile cognōrit pupil-  
lis, constituere, *arg. l. 27. in pr. ff. de liber. caus.*

XXVI.

Inde igitur tertii generis Tutores, nempe *Dativi* (qui aptè in *l. 14. §. si ve autem. 5. ff. de solut. ex* inquisitione dati dicuntur) exsurgunt, sique jure nostrō Romanō à Magistrate, cui ea potestas specialiter vel à lege, vel S<sup>C</sup>to, vel Principe tributa est, constituuntur, per *l. 6. §. 2. ff. de tut. Competere autem ex speciali lege dicuntur omnia ea, quæ non conceduntur jure Magistratus, l. 1. ff. de offic. ejus, cui maad.* Sive, quæ non competerent Magistrate, quantumvis jurisdictionem habenti, nisi essent nominatim & singularitè concessa. *Sutholt. in Diff. de jurisdic. aph. 135. & seqq.*

XXVII.

Sic lege *Attiliæ* potestas hæc concessa fuit Prætori urbano adhibita majore parte Tribunorum plebis; lege *Juliæ* & *Titiæ* Præsidibus provinciarum, *pr. 1. de Attil. tut.* Sic ex oratione *D. Marci* eadem potestas competiit Legato Proconsulis, *l. 1. §. 1. de tut. & curat. dat. ab his.* item ex ejusdem Principis voluntate *Juridico Alexandriæ, l. 2. ff. de offic. Jurid.* ex epistola *Severi Præfecto urbi, l. pen. §. 3. ff. de excus. junct. l. 1. de off. Præf. urb.* vel Magistratibus aliis.

XXVIII.

Verùm enim verò secundùm hodiernos Rom. Imperii mores non amplius jure specialis permissionis, sed jure Magistratûs à quovis Magistrate ordinario civibus vel jurisdictioni subjectis pupillis tutores dari, contendit cum aliis *Harp. ad §. 4. 1. de attil. tut.* de quo meritò dubitamus, nec à veterum legum regulis facile nos dimoveri patimur: quum præsertim in *Ord. Polit. de ann. 1577. tit. 32. §. 1.*

quò



quo illi innituntur, novi nihil de tutorum datione constitu-  
tum appareat.

## XXIX.

Illis, qui Imperio immediatè subjecti, ipse tantùm Im-  
perator vel per Judicium Aulicum de tutoribus prospicit,  
vel per Cameram Imperialem, *arg. l. neque à Præside §. C. qui  
dare tut. And. Gail. 1. obs. 1. n. 47. Dn. Præs. d. Diss. 4. ad  
Inst. obs. 13. n. 14. seqq.*

## XXX.

Transimus nunc ad *subjecta* tutelæ fungendæ ido-  
nea; suntque homines ætatis perfectæ, etiam ex testamento  
servi, alieni quidem sub conditione libertatis, proprii verò  
purè, §. 1. *Inst. qui testam. tut. dari poss. & quantumvis liber-  
tas eis adscripta non sit, propter ipsam tamen tutelæ datio-  
nem relicta cenletur, ad §. 1. Bachov. ad Tr. vol. 2. Diss. 8.  
th. 2. lit. G. concessio namque aliquo omnia videntur con-  
cessa, quæ necessariò eò spectant, l. 2. ff. de juriisd.*

## XXXI.

Eodem referimus Prodigos, propter *rex. l. 55. §. fin. ff.  
de admin. tutor. nec absterremur, si furiosis, qui nullum o-  
mninò contrahere possunt negotium, l. 5. de R. l. hosce com-  
parari, dicas. Loquimur enim de eo nos hîc tantùm, cui bo-  
norum à Magistratu facta nondum est interdictio: ejus e-  
nim acta gesta que vires habere, edocet l. 27. in pr. ff. de mi-  
nor. §. item prodigus. 2. inst. quib. non est permis. fac. test.*

## XXXII.

Cooptamus horum insuper in numerum infamiâ no-  
tatos, asserentes videl. & istos tutorum posse fungi offi-  
ciò, quum nihil aliud, quàm onus sit, quod etiam honesti ferre  
coguntur *l. 3. §. 1. ff. de mun. vel (ut verbis utar juris Canon.)  
ne malè feriatis hominibus in commodum cedat, quod de-*

B 2

bebat



bebat in poenam retorqueri, *c. etsi. s. x. de donat. inter vir. & ux.* Quemadmodum & ad procuracionem jure civili infames admitti, magis communiter Dd. statuunt *ad §. ult. l. de except. Welenb. in w. ff. de Procurat. n. 4. Bronch. cent. 1. misc. ass. 23.*

## XXXIII.

Addimus hisce Judæos, ex *l. 15. §. jam & Judæi. 6 ff. de excusat.* jure siquidem civili nulla est constituenda differentia inter Judæum & Christianum, nisi illa à lege posita sit. Theodor. Sprenger. *in Jurispr. publ. pag. m. 219. & p. 265.*

## XXXIV.

Ne multis: omnes ad tutelæ gestionem possunt accedere, modò non reperiantur *excepti*, Reperiuntur autem quidam ob suam conditionem; eamque vel digniorem, quàm ut, qui eam habet, ejusmodi oneri subjiciatur, velut in urbe Consul, Prætor; in Provinciis Proconsul, Præses, Giph. *ad §. 3. 1. de excus.* Episcopi, Clerici, Monachi, *l. 52. C. de Episc. & Cler. Nov. 123. c. 5.* & privilegiati, ut milites, *l. 4. C. qui dare tutor. poss.* nec enim hi ullis civilibus negotiis commodè aut opportunè adesse posse judicantur, *l. 31. C. locat.* Vel viliores, quàm ut qui eâ gravatus est, hujusmodi munere dignus habeatur, veluti servi hi enim, quâ tales, nullâ juris communionem donati sunt, *vulg. l. 32. l. 175. pr. ff. de R. l.*

## XXXV.

Quidam porrò prohibentur ob defectum animi: vel partialem, ut I. mulieres, *l. 16. l. ult. ff. de tut.* laborant namq; infirmitate ac imbecillitate judicii, *l. ult. in. f. ff. qui per. tut.* II. Impuberes, quum ipsi alienò indigere noscantur auxilio, *§. item 13. l. de excus. tut. l. 1. ff. de minor.* vel totalem, uti mente capti, furiosi, quorum nulla esse dicitur voluntas *in l. 40. de R. l.* prodigi, quibus à Magistratu bonis est interd-

ctum



Etum: nam & hi furiosum faciunt exitum, *l. 12. §. 2. de tut. & curat. dat.*

## XXXVI.

De minoribus veniam ætatis à Principe consecutis dubium non esse, videri posset, quin etiam antè, quàm ad perfectam ascenderint ætatem, ad tutelam alterius gerendam admittendi sint? Verum est omninò: quandoquidem illa venia saltem ejus ergò conceditur, ut de propriis rebus liberius queant disponere, *l. 2. C. de his, qui ven. atar.* Harpr. *ad §. 2. l. qui test. tut. dari. n. 2.*

## XXXVII.

Alii denique prohibiti reperiuntur ob vitia corporis, quales sunt surdus, mutus, & cæcus, *l. 3. C. qui dari tut. poss. l. un. C. qui morbò. l. pen. §. 1. ff. de legit. tut.* aut aliàs soniticò morbò laborantes, *argum. §. sed & 4. l. de Curat.* Quamvis enim surdus & mutus intellectu gaudeant; auctoritatem tamen pupillo contrahenti præbere nequeunt: ille quidem, quia non audit, quid in re gerenda dicatur; hic verò, quia non potest effari, se negotio contracto auctoritatem præstare, illudque ratum habere, *l. 1. §. 2. & 3. ff. de tut.*

## XXXVIII.

Superioribus de jure novo addimus creditorem ac debitore pupilli: nam tales eò nec dari debent, *auth. minor. C. qui dari tut.* quã *auth. de curatore loquentem ad tutores* quoque extendimus, suadente *N. 72. c. 1. 2. 3. 4. D. Richt. alleg. auth. n. 1.* id quod in tantum verum est, ut si debitor hujusmodi dissimulatâ obligatione munus hoc susceperit, solutio, quam fecit, nullius sit momenti; & creditor jacturam patiatur actionis, *d. auth. minor.*

## XXXIX.

Aliud tamen dicendum venit, si debitum fuerit modi-

B 3

cum



cum ac tenue, cum Jac. Menoch. *de arb. Jud. lib. 2. cas. 196.* quodnam autem debitum parvum dici mereatur, pendebit ex qualitate patrimonii & personæ: nam sæpè apud unum magnū est, quod alteri est parvum, dicente Sichard. *ad auth. sed jam. C. de donat. ante nupt. n. 5.* Idem etiam quoad testamentarios, si testator eos debitores vel creditores esse, non ignoraverit; censetur enim satis eorum fidem approbasse; post alios Dd. plurimos Ant. Peretz. *ad tit. C. qui dare tutor. n. 5.*

## X L.

Ritè itaque sic constituti Tutores decenter rem suscipere meminerint, præstitā scil. prius satisfatione, hodiè in omnibus indistinctè necessariā, per polit. Ordin. *de ann. 1548. repetitam ann. 77. tit. 32.* Dn D. Ludw. *D. 3. th. 10. lit. d. 11.* juramenti religione, *d. Nov. 74. c. ult.* quò sese procuraturos utilia, averfaturos inutilia, datā fide obstringunt, *l. 27. C. de Episc. aud. III. confectione inventarii, l. tutor. 7. ff. de admin. tut.* exordium siquidem & caput omnium rationum est inventarium, And. Gail. *2. obs. 138. n. 6.*

## XLI.

Quò factò probè officii sui partes exsequentur, si I. præcipuè curent personam pupilli, ne destituatur aut indefensa relinquatur, *arg. l. 1. §. 5. ff. de Carbon. edict.* II. Si res etiam debitò administrant modò, *l. 33. de furt.* pupillō enim hoc administrandi jus non competit, vetante *l. 17. §. 1. de jurejur.* Quod utrumque, si quis postquam datus est, facere cessabit, suo cessabit periculò, nisi excusetur, *l. 1. ff. si tut. vel curat. Magistr. creatus apell.* An verò, se datum esse, sciverit, erit demonstrandum: quum ipse, se datum esse, præsumatur ignorasse, *l. 6. de admin. tut.*

C. præ-



*c. presumitur. 47. de R. 1. in 6. ibique Dynus, num. 1.*  
 XLII.

Quoniam igitur tutor pupillo instar parentis esse intelligitur, omnia parentum propria exsequi tenebitur; surrogatum enim ejusdem est conditionis cum eo, cui surrogatur, *l. 10. § 2. ff. si quis in judic. sist. caus. Goedd. ad l. 98. de V. S. num, 10. Theod. Spreng. in iur. Rom. pag. 255.*

## XLIII.

Atque ita ad personam pupilli quantum primò attinet, procuret tutor ante omnia, ut liberaliter, sed pro modo facultatum sustentetur, *l. 2. cum seq. ff. ubi pupill. educ. t. t. C. de aliment. pup. prest. alere namque necesse est, l. ult. § 5. C. de bon. qua lib. c. pasce. 21. dist. 86. ἀνευ τῶν γὰρ ἀναγκαιῶν ἀδύνατον ἔστι τῆν, ἔστι τῆν quoniam absq. necessariis vita prasidiis impossibile est vivere, & benè vivere. Aristot. 1. Polit. 4. idq. adeò verum est, ut si tutor ob alimenta decernenda lateat, tanquam suspectus possit removeri, §. 9. I. de suspect. tut.*

## XLIV.

Comprehendimus autem alimentorum nomine præter cibum ac potum, etiam vestitum, tectum, medicamenta, & cætera, quæ ad tuendum conservandumque hominis vitam sunt necessaria, per *tex. l. 43. seq. de V. S. ibique Goedd. Perez. ad tit. C. de alend. liber. n. 10.*

## LXV.

Amplius ætatis ubi jam ratio flagitabit, impendi alia insuper debent in disciplinam ac informationem pupilli, *l. 2. pr. ff. ubi pup. educ. l. 6. §. non solum. 5. de Carbon. edict. et si enim veritati omninò consentiat, quod docet Philosoph. 2. Eth. 5. malos naturâ fieri nullos; labitur tamen semper humana natura quodammodo ad delicta, Nov. 5. c. 2. vers. si verò is.*



rdis. Quòd si igitur eam suò ferri siverimus impetu, silvescere eandem, indeque processu temporis malos viros, malos cives existere videbimus.

## XLVI.

At verò sicuti progigni & ritè progenitis Rempubl. augeri, l. 2. In fin. C. de indict. vid. toll. ita ali beneque educari maximè omnium interest, arg. l. 14. §. 1. ff. de serv. corr. hoc siquidem ubi defuerit, non augebitur civibus, sed potius minuetur bene constituta Respubl. quum ad ipsius curam semper pertineat malis hominibus purgari provincias, l. 3. junct. l. 13. ff. de offic. Praef. E diverso mores ad honestatem atque virtutem informari, ut promptè Deo ac Magistratui obediatur, in eò verò civitatis consistit felicitas.

## XLVII.

Per sui denique assistentiam tutor personam pupilli integret, præstando ei auctoritatem in omnibus & singulis negotiis, unde damnum oriri posset pupillo, i. e. coram ejus gesta approbando, l. 3. ff. de autor. tut. quamvis enim conditionem suam meliorem per se facere queat, aliosque sibi paciscendo, stipulando, contrahendo obligare, pr. l. de autor. tut. Wel. in τ. ff. de pact. n. 5. dum tamen de se aliis obligando agitur, hætenus ille nihil sine tutore posse censeatur, l. 189. de R. l. δὶ καὶ τὸ γινώσκον ἀκρὸν quod sine eo fiet, erit irritum. verbal. 47. ff. de admin. tut. quoniam cui bonorum administratio est adempta, eidem & potestas obligandi, l. 6. ff. de V. O. And. Gerh. Exerc. 7. qu. 18.

## XLVIII

Quâ autem ratione istud receptum, fortean dices, quum tamen rerum suarum ipsimet sint domini, arg. l. 11. C. de Procurat. Receptum id dicemus & constitutum propter



pter æquitatem, ut pupilli in omnibus rebus, ut nullum vel certè infirmum iudicium tutore autore regatur, verba *ult. ff. de manum vindict.* Deinde ob consensum pupillorum imperfectum, ex quo nulla nascitur obligatio, *l. 1. ff. de pact.* adeoque ut vis perficiatur, tutor accedat, omninò necessum est, *l. 5. de R. l. l. 13. de author. tut.*

## XLIX.

Id tamen breviter hinc attingendum videtur, pupillum (qui dari potest) obligari etiam nonnunquam absq; tutore: quando videl. ex re venit actio, *l. 46. de O. & A.* vel uti si communem fundum habeo cum eo, & aliquid in eum impendero; vel damnum in eo pupillus dederit: quod exemplum Paulus Jctus proponit *in d. l. 46.* Item si ex contractu sine tutoris autoritate impleto locupletior factus, *l. 13. in f. cum seq. ff. de condict. indeb.* Bronch. *ad l. 5. de R. l.* Adde Dn. Ludw. *ad pr. 1. de aut. tut. n. 1. & 2.*

## L.

Diximus verò supra autoritatem tum præstare tutorem, quando coràm approbat id, quod agitur per *d. l. 3. l. 9. de autor. tut.* quâ voce præsentiam non solum corporalem, sed unâ animi, ut scil. tutor videat, audiat & intelligat, quid agatur & dicatur, requirimus, juxta *l. 209. de V. S.* Requiritur insuper, ut in negotio gerendo adsit, nec ex intervallo autoritatè ei accomodet: cujus rei apta isthæc reddi videtur ratio: quia consensus tutoris idem reputatur cum consensu pupilli, ut ideo ab invicem, meritò separari nequeant, *fac. l. 32. §. 2. de acq. poss.* Octav. Simoncell. *in tract. de decret. præfat. n. 37.*

## LI.

Atque hæc ipsa autoritatis interpositio rectè fit tam

C

in dil-



in distractibus, quàm in contractibus, velut in solutione, liberatione, acceptilatione, *l. 9. ff. de autor. tut. Wel. in π. ff. eod. n. 4.* ubi illos excipit & contractus & distractus, qui effectu meræ sunt donationes. An autem in ipso negotio eam adhibere necesse sit, *dubium* recipit ex *l. 25. §. jussum. 4. ff. de acq. hered.* ubi in terminis jussum patris negotium præcedere debere, dicitur; tutoris verò autoritas perfectò interponi negotiò. Cui respond. quòd ista duo sint *πρωτοδυναμικά*, i. e. quod & tunc in ipso negotio autoritas interponi rectè dicatur, quando statim post contractum apponitur negotium, uti fit in *d. l. 25. §. 4.* nam quæ in continenti fiunt, ipsis negotiis inesse dicuntur, *l. 40. de R. C. Zoel. ad ff. de aut. tut. n. 5.* Dn. D. Ludw. *d. D. th. 7. lit. c.* cujus rei evidens præbetur argumentum in materia stipulationis, *l. 1. §. 1. ff. de V. O.*

## LII.

Cæterum, an ad sponsalia vel nuptias etiam pupillæ contrahendas tutoris auctoritatem oporteat accedere? jucundæ quæstionis est. Et de minoribus sanè postquam asseruit Sichard, *ad l. si pater 4. C. de spons.* quòd absque interventu curatoris possint & sponsalia & matrimonium contrahere; pupillum sine tutore idem posse, rectè negat, *d. l. 4. n. 2.* Nec negativam nostræ quæstionis evincit *l. 2. ff. de R. N. pr. l. de nupt. ibi: quorum in potestate sunt.* Ex quibus textib. patescit, eorum demum ad nuptias necessarium esse consensum, qui in contrahentes patriam habent potestatem. Bronch, *cent. 1. misc. ass. 100.* Quamvis enim impubes in potestate tutorum non sint, sunt tamen in quasi potestate. quum tutor magis detur personæ, quàm bonis. *Wel. in π. ff. de R. N. n. 8. fac. l. 8. C. de nupt.*

LIII. Et



Et licet otiosa fortè videri posset hæc quæstio, eo videl. quòd impubertas nuptias impediatur, pr. Inst. de nupt. otiosa tamen neutiquam est: primò enim sponsalia inter impuberes rectè fiunt, nuptiis ad pubertatem dilatis, dummodo excesserint infantiam, *l. 14. ff. de sponsal. 2.* Impuberes etiam, in quibus malitia ætatem supplet, rectè nuptias jure Canonum contrahunt, *c. de illis. 9. c. fin. x. de despons. impub. 3.* facit, quòd hodie tutorum officium etiam ultra pubertatis terminos extendatur, dum iidem ferè manent Curatores, qui Tutores Gall. *2. obs. 96. n. 1.* Verùm de his, qui subsunt Curatoribus, nostram negare quæstionem, nihil certè impedit.

## LIV:

Necessaria est præterea assistentia tutorum, si quando *in judicio* sive criminali, *l. 4. C. de autor. prest.* sive civili, *l. 4. C. si adv. rem jud. l. 45. in f. ff. de re iud.* contendendum fuerit; sive agant ipsi pupilli contra alios, sive pulsentur ab aliis: neque enim minoribus absque curatoribus suis, neque pupillis absque tutoribus *in judicio stare concessum est, l. 1. & 2. C. qui legit. pers. standi in jud.* ut ideò sententia, in eos indefensos fortè lata, prorsus habeatur frustranea, *d. l. 45. ff. de re jud.*

## LV.

Quin imò etiam si pupillus vel minor per sese litigantes obtinuerint, sententiam tamen ipsò jure non valere, facile, propter unum substantiale deficiens, probabile posset videri: id quod & nos in pupillo nullum habente intellectum admittimus, *arg. l. 9. ff. de re jud. l. 6. § 3. de confess. in aliis* verò contrarium magis arridet; ne scil. introductum in favorem porrigatur ad incommoda vel odium, contra *l. 6. C. de LL.*

C 2

LVI. Nec



## LVI.

Nec officit nobis defectus unius de substantiasibus, propter quem iudicium cum pupillo substantiari non potuisse videbatur, ut loquitur Cynus *ad l. non eò minus. C. de Procur. n. 1. in f.* Nam illud hoc nostrò deficere casu, negamus: quia scilicet ubi in acquirendo & in lucrosis versantur factis, minores reputantur pro majoribus, *l. 7. C. de contrah. stip.* atque hinc legitimam iis fuisse perlonam, sententiamque in ipsorum commodum prolatam valere, credendum est; tenet ita Cyn. *d. l. & ad rubr. tit. C. qui legit. pers.*

## LVII.

At quomodo consulatur pupillis, inquit, ubi rei status cum ipso met tutore iudiciò experiri flagitaverit? edocemur id satis apertè ab Imperat. nostro *in §. 3. l. de aut. tut. & Jcto Ulp. in l. 3. §. 2. & 3. ff. de tutel.* nempe quum ipse tutor in rem suam autor esse prohibeatur, in locum ejus subvehetur curator, cujus interventu iudicium pupilli nomine peragitur, *d. d. l.* vel si plures illi tutores fuerint, curatore istò quiescente, unò autore agetur cum alio, Javolen. *in l. 24. ff. de testam. tut.*

## LVIII.

Monemur equidem ad alia nunc progredi; sed tamen remoram duo breviter hîc loci expedienda adhuc, injiciunt: 1. hoc: quid respondendum sit de ejusmodi facti specie, quâ tutor calumniosam litem pupilli nomine suscepit, eamque ob causam postmodum, tanquam temerarius litigator in expensas condemnatus est; utrùm sumtus sufferre teneatur pupillus? Et, ipsum nullam inde fraudem sentire, dicimus, *arg. l. 2. ff. de eo per quem fact. l. 6. C. de adm. tut.* Nisi ex commisso tutoris ad pupillũ aliquid pervenerit; ex eo enim eum obligari, rectè scribit Dyn. *ad c. delictum. 76. de R. l. n. 5.*

## LIX. Al-



## LIX.

Alterum, quod h. l. expediendum duximus, est dubium aliquod ex *h. nostra 46. §. fin. l. quib. alien. lic. junct. l. 1. de solut.* enatum: cur scilicet debitor sine tutoris ac Judicis interventu solvere pupillo prohibeatur; quum tamen ejusmodi is casus videatur, qui non possit, nisi in ipsius commodum redundare? Verum ut ut primò intuitu rem ita se habere putes, aliter tamen certè res habet, & ipsa etiam solutio in pupillum collata species est alienationis, Dn. D. Ludvv. *ad d. §. fin. n. 2.* amittitur namque obligatio, *l. 22. de solut.* unde meritò pupillo, ne quidem solutionis recipiendæ licentia absque tutoris autoritate concessa est.

## LX.

Vilâ itaque necessitate autoritatis pupillis accommodandæ tam in extra judicialibus, quàm judicialibus negotiis, *ad res jam nunc §. bona pupillorum* accedimus, quibus Tutor saltem per consequentiam, utpote quæ tacitè personam sequuntur, datus esse censetur, *§. ult. 1. de Attil. tut.* Atque ad ea quantum attinet, debet pariter justò circa eadem versari modò, ita videlicet administrando, ne ex ejus malignitate vel desidia aliqua impuberi accidat jactura, *verba l. ult. C. de pact. convent.* sed ut integra omnia serventur, & quoad licet, augeantur.

## LXI.

Quod equidem in tantum verum est, ut jure vet. nisi in usuras mallet conveniri, pupillorum pecuniam mutuare teneretur, *l. 7. ff. de adm. tut.* Imò magni sunt nominis Dd. qui hodiernum tutores usuras, vel id quod interest pupillis refundere teneri, astruunt, si pecuniam pupillarem vel fœnori exponere, vel in prædiorum emtionem collocare neglexerunt; quibus, cum certo tamen moderamine, assenti-



tur Anton. Perez. *in tit. C. de adm. tut. num. 14.* ubi vide.  
LXII.

Neque verò hinc sufficere, existimandum est partem aliquam patrimonii tueri, reliquas deserere; sed totum curari debet corpus patrimonii, §. *dat. 17. l. de excus. tut. l. 21. §. 2. ff. eod. Cic. lib. 1. off. p. m. 51.* Quod tamen aliter obtinere dicemus, si fortè nimis latè diffusum sit patrimonium, nec unus oneri ferendo sufficiat.

## LXIII.

Verbis: quoad licet: innuo, dolosè commoda pupilli promoveri non debere, *arg. l. 74. de R. l. ad bonum enim & honestum finem mediis honestis, idoneis & accommodatis contendere & pervenire oportet: nec alteri per alterum iniqua inferenda conditio.* Et quid quæso, si unum quodq; membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset? debilitari ac interire totum corpus necesse esset: elegantia sunt Ciceronis verba *lib. 3. offic.*

## LXIV.

Hinc porrò istud consequitur, quod tutor, adhibitis licèt solennibus, largiri de pupilli bonis nequeat, uti evincit *l. 46. §. ult. ff. de admin. tut. l. 7. pr. ff. d. donat. l. 28. §. 2. de pact.* Bach, *ad Tr. vol. 2. D. 19. th. 3. lit. A.* quoniam donatio fines administrationis excedit, *d. l. 7. de don. Wesenb. ad §. vendit. l. 1. de R. D.*

## LXV.

Sola in donatione non subsistimus, sed quod de ea diximus, ad quamvis aliam quoque alienationem extendimus, ut scilicet, nec aliò ullò modò quicquam tutori alienare concedatur, *l. 1. §. 2. l. 5. l. 7. ff. de reb. eorum, qui sub tut. l. pen. C. de reb. alien.* tunc enim tutor in re pupilli domini locò habetur, quum tutelam administrat, non quum pupillum spoliat, *verba l. 7. §. 3. ff. pro emt.*

## LXVI.



## LXVI.

Quemadmodum autem aliàs sub nomine alienationis prohibita saltem venit voluntaria, non item necessaria, *l. 13. fam. herc. Dn. Ungep. ad tit. x. de reb. Eccles. alien. ita & hinc prohibitionem intellectam volumus, arg. c. quod non. 4. x. de R. I. Bronch. cent. i. ass. 48. in fin. Octav. Simon c. d. tr. de decret. lib. 1. tit. 1. n. 5.*

## LXVII.

II. Prædicta procedere volumus in rebus immobili- bus, & mobilibus illis, quæ servando possunt servari, *secundùm l. 22. C. de adm. tut.* in aliis enim rebus, quæ tractu tem- poris fiunt deteriores, prohibitio alienationis ipsi pupillo cederet in damnum & periculum. Quam distinctionem prolixè prosequentem vide Schneid. *ad § fin. l. de autor. tut. n. 22. 23. cum seqq. Menoch. de A. I. Q. cent. 2. cas. 171.*

## LXVIII.

III. Sicuti in casu moræ solutionis à reo commissæ talis servari solet ordo, ut missio in bona, ipsaque eorum et- iam distractio primò fiat in mobilia, hisque non sufficienti- bus in immobilia, ne scil. magnum reo inferatur præjudici- um, *l. 15. de re jud.* ita idem hoc in casu alienationis rerum pu- pillarium eveniente multò magis sequendum videtur.

## LXIX.

Convenienter hinc jam quæritur: An ergò Tutoribus hypothecæ & pignori saltem obligare res pupillorum lice- at? meritò negamus & hoc propter *l. 7. §. 1. l. pen. vers. quan- quam ibi. neq. obligare. ff. de reb. eor. qui sub tut.* est enim op- pignoratio quædam alienatio, *Wes. in w. ff. quæ res pign. n. 2.* ac prohibita alienatione etiam pignoris datio regulariter est prohibita, *l. ultim. C. de reb. alien. non al. l. 1. §. f. ff. quæ res pign. obl.* Dn. D. Ludvv. *in S. I. F. c. 18. pag. 472.* Vid. Bach. *d.*

vol. 2.



vol. 2. D. 2. th. 5. lit. D. Goedd. ad l. 28. d. V. S. num. 8. & 17.

## LXX.

Quin imò non solùm oppignoratio, sed & locatio bonorum pupillarium ad longum facta tempus Tutoribus interdicta est, quia scil. efficit, ut jus reale in conductorem transeat, si credimus Simonc. lib. 2. de decret. tit. 6. n. 25. seq. Verùm contraria hìc sententia, tanquam vero convenientior, magis nobis arridet, propter l. 39. ff. loc. & l. 2. C. de praescrip. 30. ann. Conf. Bronch. cent. 2. ass. 67.

## LXXI.

Quibus ita positis in proclivi erit ad eam respondere quaestionem; quid statuere oporteat, si tutor de facto rem pupilli alienari prohibitam uillò alienaverit modò? Factam scil. alienationem esse nullam, quum facta sit contra prohibitionem legis, l. 5. C. de LL. nec ad usucapionem ementi proficere, l. 10. & ibi Gothofr. ff. quemad. serv. am. l. 3. vers. sed pupillari. C. de praescrip. 30. ann. ideoque rem taliter alienatam vindicari à quovis possessore unà cum universis fructibus, quem non bona fid. à consumptorum restitutione excusat. l. 2. & 3. C. si quis ignor. rem. min. Zœl. in ff. de reb. eor. qui sub tut. n. 11.

## LXXII.

Superest, ut videamus, quid maneat Tutorem, si adversus ea, de quibus hactenus locuti sumus, praecepta quid commiserit, aut omiserit, ex quo detrimentum pupillo obvenit? Verbò; tutelæ convenietur judiciò, urgente eum exactam & universalem (pro parte enim non potest, Menoch. de arb. jud. cas. 209. num. 30. seq.) administrationis suæ rationem, & quicquid rerum pupillarium reliquum apud se fuerit, reddere, §. ult. l. de Att. tut. l. 9. C. arb. tut. illudque jure nostrò



nostrò finitâ demum per pubertatem aliosvè modos tutelâ,  
*d. § ult. l. 1. §. f. de tut. & rat. distrab.* absurdum enim visum  
 est, rationem administrationis negotiorum pupilli reposci,  
 in qua adhuc perseveraret, *verbal. §. 4. ff. d. t.*

## LXXIII.

Aliæ tamen actiones præter tutelæ quin etiam antè,  
 quàm tutelam Tutor deposuerit, competere queant, nihil  
 impedit, *per d. l. 9. §. f.* Arridet hac in re illa Cyni distinctio,  
 adhibita *in l. ad versus. 2. C. de adm. tut. num. 3.* Aut, inquit is,  
 actio, quâ pulsare tutorem desideras, causam habet tutelâ  
 vetustiore, aut non habet: illâ rectè, tutelâ etiam adhuc  
 durante agitur; in hac refert, utrùm quærat de actione tu-  
 telæ, & intentari finitam ante tutelam nequit: quia non na-  
 scitur, nisi eâ finitâ, *per tex. antè all.* an verò de actione alia,  
 ex. c. furti, damni injuriæ, &c. & ista quidem nascitur, sed ta-  
 men, nisi finitâ tutelâ, non intentatur.

## LXXIV.

Recedit à jure communi in tempore rationis reddenda  
 Canonicum, jubens omnes alienarum rerum Admini-  
 stratores quotannis id præstare, *clém. 2. §. 1. vers. illi etiam.*  
*de relig. dom.* Exigit hoc idem in Tutore Rom. Imperii con-  
 stitutio in comitiis Augustanis A. 1548. promulgata, *tit. von*  
*der Pupillen und minderjährligen Kinder Tutorn und*  
*Vormündern. & 1577. eod. tit.* Sed consuetudo rem ad ve-  
 teris juris rationes ferè reduxit. Excell. Dn. Præs. D. 4. *ad*  
*Inst. obs. 16.*

## LXXV.

An autem, *si plures sunt Tutores*, eodem omnes con-  
 veniantur modò? quæri haut immeritò poterit: ubi nos ad  
 hanc rem distinctiùs explanandam ejusmodi ingrediemur

D

viam



viam, ut perpendamus, unusne administraverit tantum, an plures. Si unus, ad omnes periculum pertinet, *l. 14. §. 1. de solut.* si plures, interest, an facta sit divisio inter eos voluntate testatoris, aut Judicis; an verò ipsorum tutorum pacto & conventionem. Posteriore hoc casu dicendum, strictò jure omnes de neglectis admissisve teneri in solidum, perinde ac si administrassent pro indiviso, *l. 55. de adm. & peric. tut. l. 2. inf. C. de div. tut.* quia scilicet tutores, qui pacto administrationem inter se partiuntur, neque pupillo, neque creditori nocere debent, *Giph. ad d. l. 2.*

## LXXVI.

At ubi voluntate testatoris, aut à Magistratu processit divisio, quilibet pro suæ tantum administrationis parte convenitur, nec ad Contutores periculum pertinet, nisi malè gerentem maturè suspectum reddere neglexerint, *d. l. 2. C. de div. tut.* facit enim divisio isthæc quemlibet suam tueri provinciam, *Zœl. in ff. de admin. tut. n. 8.*

## LXXVII.

Hodiè, si litis contestatæ tempore omnes sint solvendo, æquitatis ratione quatuor juvantur beneficiis: nim. I. beneficio ordinis, quò excipitur, ut qui administravit, primus conveniatur. II. Divisionis, competens ei, qui solus convenitur, quum tamen plures gesserint, ut quilibet conveniatur pro rata. III. Cedendarum actionum, quò qui pro altero solvit à pupillo actionem tutelæ sibi cedi postulat, ut possit ex actionis cessione repetere, quod solvit. IV. Utilis actionis, quod locum habet, si tutor à pupillo cessionem justò tempore non petierit, quò portionem ab eo, pro quo solvit, consequi potest. De quibus omnibus vid. *Wesl. in ff. de adm. & per. tut. ibiq. D. Hahn. n. 7.*

## LXXVIII.



## LXXVIII.

Ratio, cur à pupillo qui solidum solvit, actiones ad-  
versus Contutores sibi præstari petat, haut est in obscuro,  
videl. hæc: ut ex cessione tutor consequatur actionem,  
quam aliàs in contutorem strictò jure nullam habet, *l. 12.*  
*l. 19. de adm. tut.* quum nullum negotium inter contutores  
gestum sit, ex quo oriretur obligatio vel actio uni contra al-  
terum. Quod si tamen illam petere omiserit, dabitur ei in  
contutorem actio utilis ex constit. D. Antonini *in l. 2. C. de*  
*contr. jud. tut.* uti modò dict.

## LXXIX.

Cœterùm quid in tutelæ actionem veniat, noluerunt  
lateren nos post Ulpian. *in l. 1. pr. ff. de tut. & rat. distr.* Impp.  
Diocl. & Maxim. *in l. 7. C. arb. tut.* indicantes, dolum o-  
mnemque culpam venire, exceptà tantùm levissimâ: quum  
enim invito etiam hoc munus injungatur, nec id sui ipsius,  
sed pupilli commodo, eum tam arctè teneri, æquitas haut  
patitur.

## LXXX.

Illud verò meritò omnium in animos tutorum pene-  
tret, quod in §. 2. *l. de pæn. tem. litig.* scriptum reperitur;  
hanc nim. actionem ex earum esse genere, quæ infamiam  
ob dolum commissum damnato *Wel. cons. 140. n. 53. par. 3.*  
irrogant. Abstrahat scil. à fraudibus circa res pupillares  
committendis pœnæ magnitudo, quem non abstrahit ho-  
nestas, juxta pronunciatum Arist. 10. *Eth. 9* οἱ πολλοὶ ἀνάγκη  
μᾶλλον, ἢ λόγῳ πειθαρχῶσι, καὶ ζημίαις ἢ τῷ καλῷ: *plu-*  
*rimumi necessitati magis, quàm rationi obtemperant, & nocu-*  
*mentis, quàm honesto.*

## LXXXI.

Abstrahat præterea & hoc, quòd sciunt, post mortem

D 2

suam



suam successores seu heredes suos isthoc in solidum teneri  
 judiciò, *l. 12. de O. & A. l. 49. eod.* siquidem in contractibus ex  
 dolo eorum, quibus successerunt, in solidum solent teneri,  
*l. 157. ff. de R. i.* Quamvis autem tutelæ actio non oriatur ex  
 contractu: quum fiat sine tractatu, nec intercedente specia-  
 liejus consensu, cujus negotium geritur; quæ utique in con-  
 tractibus requiruntur, *l. 32. pro soc. l. 1. §. 3. vers. ad eò ff. de  
 pact.* refertur tamen inter contractus generaliter loquendo  
*l. 23. de R. i. junct. §. 2. l. de obl. quæ. qu. ex contr.*

## LXXXII.

Id expeditum planè est, quòd Tutor non solùm, quan-  
 do ipse administrat, sed & quando alium administrare jubet,  
 actioni tutelæ obnoxius sit, quia scil. Secundùm juris com-  
 munis regulas: quod per alium quis facit, perinde habetur,  
 ac si faceret per se ipsum. *l. 1. §. de jecisse. 12. ff. de vi & vi arm.  
 c. qui facit. 72. de R. i. in 6.*

## LXXXIII.

De fortuitis equidem casibus tutorem non posse con-  
 veniri, facile cognoscere est ex suprà dictis, & *l. 50. ff. de  
 adm. tut. l. 4. C. de peric. tut.* attamen si posthabitis pupilli re-  
 bus proprias in incendii v. c. periculo liberavit, damnum  
 præstare jubebitur, *arg. l. 13 §. 1. ff. d. t. l. 5 §. 4. comm.* Id quod  
 ita est, nisi res propriæ fuerint pupillaribus vel preciosiores,  
 vel pares: tunc enim, quum simul utrasque salvas facere ne-  
 quit, impunè suas tutorem præferre, asserimus: in pari nam-  
 que causa periculi excusandus meritò est, qui seipsum sibi  
 proximum statuit, *arg. l. 6. C. de servit.*

## LXXXIV.

Insuper neque illum præsentihac actione levari, tene-  
 mus, qui dum vel tutor datus non erat, vel jure esse non po-  
 terat,



terat, tutelam administravit: tenetur enim ejusmodi gestor ex tutela exemplò veri tutoris, *arg. l. 1. C. de eo, qui pro tut. l. pen. ff. eod. actione scil. pro tutelæ, etiam ante pupilli pubertatem. l. 1. §. 3. ff. d. t. eamque multò pinguiorem ac utiliore esse actione negotiorum gestorum, dicit & docet. Sich. ad l. 4. C. de neg. gest. n. 6.*

## LXXXV.

Alia præter hanc tutelæ actionem pupillis etiam superest, paucis monendum videtur, quam vocant de rationibus distrahendis, daturque in duplum, quoties Tutor ex pupillaribus bonis aliquid subtraxit vel abstulit, *l. 1. §. fin. l. 2. ff. de tut. & rat. dist. ibique Dd. Differentiam, quâ hæc ab illa discernitur, ponimus eam: 1. quòd tutelæ actio tantùm competat in simplum; hæc de rat. distrah. in duplum ejus, quod est ablatum. 2. quòd tutelæ actio contra Tutorem ipsum ipsiusque heredes locum habeat; altera illa contra ipsum quidem Tutorem, at non heredes: est enim pœnalis. d. l. 1. §. 23. ff. eod.*

## LXXXVI.

Verùm properamus hinc & sicuti diximus hætenus de actione tutelæ, quam dicunt directam, quâ Tutor à pupillo convenitur ratione administrationis; ita è diverso Tutori quoque suam tribui actionem, ipsa exsolcit æquitas: ne videl. officium suum ipsi sit damnosum, contra *l. 61. §. 5. ff. de furt. Vocatur hæc tutelæ contraria, intentarique potest adversus pupillum jam adultum ad id, quod pupilli nomine bonâ fide erogavit, repetendum, §. 2. l. de obl. qua ex qv. contr. l. 3. §. 1. de contr. tut.*

## LXXXVII.

Sufficit autem hoc in judicio, benè & diligenter gestisse

D 3

sisse



sisse negotia, etsi quod gestum est à tutore, eventum habuit ad verum, l. 3. § 7. ff. d. t. Id tamen expeditum est, Tutorem salarium sibi eò consequi non posse, nisi singulari ex causa fuerit constitutum, l. 33. inf. de admin. tut. Tutoris namque officium uti non damnosum, ita nec lucrosum esse debet: est enim gratuitum ad communem & pupillorum utilitatem favorabiliter institutum.

## LXXXVIII.

Plura equidem hanc in rem afferri possent magni & momenti & utilitatis; verum quoniam pagellarum temporisque brevitatis, nostrique ratio instituti verbosos scribere commentarios hautquaquam patiuntur; isthac curarum mole in alios eruditiores translata finem lubentes imponimus, Deo interim TER SANCTO pro divina sua assistentia gratias agentes immortales!

**Q**Uam, Metzgere, doces Tutorum amplissima jure  
Causa est, si spectes publica privata simul.  
Nil prohibet, divinis humanisque tuendis  
Qui presunt, isto nomine ritè voces.  
Hæc Tua cum tantas res disquisitio princeps  
Tangat: non res hæc omine credo caret.  
O minor & voveo, nunc ut quæ jura tueris  
Tutorum, quondam sic tenuisse juvet:  
Sis benè, TE Patriamq; Bonosq; Tuosq; tuendo,  
Tutoris functus partibus, ut clucas!

Nob. & præximo D. Respondenti suo,  
Dissertationis hujus Auctori eruditiss. &c.  
sic t. p. gratulab.

PRÆSES.

Quod



**Q**uod sit causa Dei, perhibetur, causa minorum  
Hinc Curatores civili lege probatos,  
Illorum fors an ne sint bona praeda malorum.  
Nancisci debent: quibus ut sit functio cura,  
Ipse Magistratus jubet, ut de jure satisdent.  
Quid! datur aduersus curarum munere functos  
Actio tutela vel de ratione peracta:  
Atq; Magistratum, cui competit esse minorum  
Conseruata suis Genitor qua parte reliquit,  
Actio, sicut habet jus, subsidiaria pulsat.  
Sed persape parum miseris civilia jura  
Prospexisse iuuat. Qui custodire minorum  
Lege tenentur opes, hoc tempore vulturis instar  
Sapius emungunt spoliantque ferociter illos,  
Nilque referre putant, quod defensore remoto  
Exhaurire queant, modo sint bona rapta minorum.  
Quam genus egregium, praetextu Martis ab ima  
Radice euulsit manus improba robore summo,  
Vxori misera natisq; cadente columnâ.  
His fors an motum te, mi Metzgere, quod audes  
De Curatorum conscribere munere laudo,  
Laudo quod ad nostri doctè conscendere rostra  
Parnassi tentas, ad quos tibi gratulor ausus,  
Et precor, ut tandem, quem nunc Tubinga tuctur  
Quemque habuere diu nostra, ceu lumen, Athena,  
Sis Consanguineo similis, qua fundere vota  
Sum potis & Deus est potis hac concedere vota.

Ita Dno. suo Populari & amico animitus apprec.

Wilhelmus Kornacher

J. U. L.

Dum





**D**Um Tu jam Themidos conscendens pulpita clara  
Defendis mirâ dexteritate theses.  
Orator, & ex studiis ut opes volventibus annis  
Excellensque feras nomen, Amice, precor.

*Gratulabundus ita intimo meo  
applauderam*

Johannes Daniel Eber/Sv. Fr.

**U**nde laudem, quam mereris,  
Vnde, Metzger, ordiar?  
An, quod indolem benignam  
Aparente nactus es?  
An quod es scientiarum  
Pervagatus ambitum?  
An quod &, præter Latinas  
Scis sacrorum literas?  
Cujus ipse testis adsum  
Testis olim conscius.  
Non minora præstitisti  
In severioribus.  
Nòrcus ecce, Pindus ipse  
Comprobabit omnia.  
Hic litâsti diligenter  
Iurium sacra Deæ.  
Gissa nec de Te silebit,  
Quippe non est nescia.

Atque, qui nescire dicit,  
Disputata permeet,  
Marte quæ tuomet ipsò  
Scripta de Tutoribus  
Et tueris in cathedra,  
Et tuæ offers Patria.  
Illa mi sat & superque  
Sunt honoris omina,  
Quo beaberis futurum  
Fratris admodum Tui.  
Publicam seu rem juvabis,  
Sive privam subditi  
Sive; sed manum retardo.  
Aptius patescet id  
Tempore ipsò prædicante,  
Quid boni spes Patria  
Certa de Te destinârit.  
Fiat id, quod ominor!

Paucis hisce dulcissimo suo Dn. Conterraneo, A-  
mico faventissimo gratulari voluit, debuit

Joh. Henricus Krämer.

F I N I S.



Giessen, Diss., 1662-63




f  
sb.

W.A.









*Pri. 33. Nymbr.*

EXERCITIUM JURIDICUM  
*De*

*1662, 2*

# TUTORIBUS,

*2,*

QUOD

*Divinâ assistente Gratiâ*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI*

DN. HULDERICI *EMBEN*

J. U. Doctoris & Professoris in Illustri Academia

Hasso-Giessena celeberrimi, Præceptoris ac Pro-

motoris sui summô honoris observantiaq; cultu

prosequendi

*Publicè proponit*

JOHANN. CHILIAN. Metzger /


Svinf. Fr. Aut. & Resp.

*Ad diem 30 Augusti*

A. N. C.

*M. DC. LXII.*

*P. 247.*



GIESSÆ HASSORVM,  
Literis FRIDERICI KARGERI.

